CANTICVM NOVVM ANIMI SALIENTIS

A MVNDO
A TERRA
A COELO
A SEIPSO
IN DEVM

FERDINANDO TERTIO IMPERATORI

POST PLVRIMAS VICTORIAS
ET POST ADEPTVM IMPERIVM
VIENNAM REVERTENTI AN. M.DC.XXXVII.

MVNVSCVLVM
GRATVLABVNDVS OFFEREBAT

GVALTERVS PAVLLVS SOCIETATIS IESV
in Archigymnaſio Viennenſi SS. Theol.
Doctor & Profeſſor.

VIENNÆ AVSTRIÆ
TYPIS VIDVæ MATTHæI FORMICæ, IN
Aula Colonienſi, ANNO M. DC.XL.

FERDINANDO TERTIO IMPERATORI FELICITER IMPERARE.

FERDINANDE SACRATISS: CÆSAR, Dum feſtivis acclamationibus occupatur Orbis, & laudum Tuarum panegyris vniverſa fit Germania, offero TIBI laudes DEI. Ijs TE laudibus proſequor, quibus vnicè delectaris. TVI materiam exornandi dediſti pauculis annis prope infinitam. Habent Oratores, vel integro ſeculo quod laudent. Ego laudabili' in TE nihil eſſe putavi, quàm quòd dignè laudari non poſſis, niſi in TE laudetur DEVS, CANTABO DÑO. CANTICVM NOVVM.

FECISTI NOS DOMINE AD TE ; ET INQVIETVM EST COR NOSTRVM, DONEC REQVIESCAT IN TE.

AVGVSTIN : I. Confeſſ:

CANTVS I.

ANIMI SALIENTIS A MVNDO IN DEVM.

DEvs meus; meum cor,
Amor meus te deperit;
Nihil boni meum cor
Te majus, vſquam repperit.
Mundi ſuperba larva
Quæ fronte lucet extimâ,
Eſt vmbra, resque parva,
Cum tu ſerenas intima.
Tua quando magnitudo
Cor implet, & comprenditur;
Quid orbis amplitudo,
Quid Mundus eſt, oſtenditur.
Hæc machina vniverſa
Eſt ſicut vuæ granulum;
Mariqúe terra merſa
Vt ſcrupus eſt, vt punctulum.
Nos fingimus chimæras
In punctuli faſtigijs,
Vt regna, reſque veras,
Sic ludimur præſtigijs.

RHYTHMVS II.

QVISQVIS vel ex ſtaturâ
Hunc æſtimandum præcipit
Mundum, vel ex figurâ,
Deceptus eſt, & decipit.
Mundus nec vniformis,
Nec par ſibi per omnia:
Eſt, ipſa quando dormis
Solent vt eſſe ſomnia.
Qui credit eſſe amænum,
Hic ſomnio deluditur:
Non percipit venenum
Fuco quod iſto includitur.
Pilula eſt amara Mundus
Condita ſucco laureo,
Pulcherrimus, rotundus,
Simillimus pomo aureo.
Foris eſt mel, eſt amomum,
Nil intus eſt concordiæ:
Potes hoc vocare pomum
Malum aureum diſcordiæ.

NOLI vocare pulchrum,
Malum aureum ſi Mundus eſt:
Foris, aureum ſepulchrum:
Intus, malorum fundus eſt.
Noli vocare bellum,
Quod bella per labellula
Spiret perenne bellum,
Et mille conflet bellula.
Si bella per labella,
Promus malorum condus eſt;
Nec iſta bella, bella;
Nec Mundus iſte, mundus eſt.
Solent vocare Mundum;
Sed vocis eſt inverſio:
Deberet hoc rotundum
Dici boni perverſio.
Ab ovo, ad vſque mâla
Mellita dat cibaria:
Mala ſunt deinde mâla;
Et bella ſunt bellaria.

Dicamne quid ſit orbis,
Rerum quid vniverſitas?
Eſt arca plena morbis,
Eſt litium diverſitas.
Quas Mundus actiones
Appellat, & quæ munera;
Perinde factiones
Dici queunt, & funera.
Elementa copulantur
Bellis, & actionibus:
Vrbes coagulantur
Plerumq; factionibus,
Quid eſt coiſſe turbas,
In urbium conſortia;
Niſi excitaſſe turbas,
Et principum divortia?
Lites per ergo multas,
Per bella rerum publica,
Mundi fit hæc ſimultas,
Hæc litium Reſpublica.

Mvndo ſimul coacto
Tam nulla ſi ſit vnitas,
Quo jure, quoùe pacto
Dici poteſt communitas?
Vox ipſa civitatis,
Videtur eſſe irriſio;
Quid reſtat vnitatis,
Si regnat hic diviſio?
Vt ſors tulit, ſuarum
Eſt cuiq; rerum portio;
Rerumque publicarum
Vocatur hæc proportio.
Hic pauper, ille dives;
Diſtamus infortunio;
Eſtne iſtud eſſe cives?
Eſtne hæc boni communio?
Ne ſic loquamur vnquam;
Hæc ſortis importunitas,
Cum veritate nunquam
Dici poteſt communitas.

RHYTHMVS. VI.

SI mente quis revolvat
Mundana quæ ſint munia;
Quos ſortis vrna volvat
Caſûs, & infortunia:
Eſt Mundus iſte follis,
Genus pilæ luſoriæ,
Quod inflat aura mollis
Syringe vanæ gloriæ.
Hoc folle ſunt globatim
Rerum vices communium:
Ludunt eo datatim
Fortuna, & infortunium.
Modò in ima, mox in altum
Fertur levi jactantiâ:
Salit hunc perennè ſaltum,
Conſtans in inconſtantiâ.
Dum porrò ſic rotatur,
Et ſaltat, & revolvitur:
Qui perdidit lucratur,
Luduſque non abſolvitur.

PVTAS-

PVTASNE te jocando
In hocce ſphæriſterio,
Ludendo, ſaltitando,
Vnquam quieſſe ſeriò?
Qui vult quietus eſſe,
Et ſtare Mundi ductibus,
Vult in globo quieſſe
Qui concitatur fluctibus.
Gula, livor, ira, luxus,
Cupido, faſtus, otia,
Sicut maris refluxus
Mundi rotant negotia:
Et mille gaudiorum
Nos turbulentis flatibus,
Cogunt, & otiorum
Perire tempeſtatibus.
Ego nolo, nolo Munde
Has te ſequi per orbitas;
Queis navigas ſecundè,
Totoq́; cœlo exorbitas.

NEc Mundus ergò mundus;
  Nec orbis eſt, ſed orbitas:
Labyrinthus eſt rotundus,
  Habens doloſas orbitas.
Per circulos abire
  Notiſſimis erroribus;
Finem nec invenire,
  Nec exitum laboribus,
Eſt vita plurimorum
  Quadam neceſſitudine;
Nam poſteri priorum
  Erramus aſſuetudine.
Si quæris hic aſylum,
  Aut quò recurri debeat;
Si ſoſpitale filum,
  Quod exitûs ſpem præbeat:
Tecum ipſe permaneto,
  Et in Deum convertere.
Recti viam teneto,
  In circulum ne vertere.

Hic orbis, eſt rotundus,
Eſt circulator mobilis:
Dicatur ergo Mundus
Præſtigiator nobilis.
Eſt arte Pantomimus,
Dum more nugivenduli
Dat verba, circuimus
Ab ejus ore penduli.
Exponit ille venum
Mirabili facundiâ
Senſu quod eſt amænum,
Mortalium crepundia,
Pigmenta, mella, flores,
Ramos honoris laureos,
Cupidines, amores,
Et mille montes aureos.
Hæc eſſe magna fingit;
Et hæc homo complectitur:
Verùm quid iſte ſtringit,
Si fabulas amplectitur?

Qvod eſt cicada in herbâ,
Quod in plagis araneus,
Nens fila, danſque verba,
Eſt circum - hic - foraneus.
Fert ore mille laudes,
Manuſque mille baſia,
Fert corde mille fraudes,
Quot verba, tot mendacia.
Huc (clamat evocando)
Nil hic labore venditur,
Venundatur jocando,
Emendo nil expenditur.
Emitur labore virtus,
Et plurimis ſudoribus;
Veneri dicata myrtus
(Inquit) datur favoribus.
Ne Munde gloriando
Loquâre mî ſublimia;
Occidis oſculando,
Pullos tuos vt Simia.

QVÆRO boni medullam;
Hinc Mundus, hinc inanitas:
Amare nolo bullam,
Cujus medulla vanitas.
Amare nolo numos,
Sunt flava terræ ſcoria.
Amare nolo fumos,
Qui nominantur gloria.
Quo fine deperibo
Terræ gravis flavedinem?
Quo fine poſt abibo
Auræ levis gravedinem?
Hic Mundus, hoc inane
Fucatur auri cortice;
Homo bulla vana, vanæ
Fit ludus auræ vortice.
Hic ludus, ille fucus,
Vel morbus eſt auriginis;
Vel morbus eſt caducus,
Factus malo vertiginis.

Levis eſt, eritq; Mundus;
Nam fumo, & aurâ paſcitur:
Grave quid, habensq; pondus
De re levi non naſcitur.
Gravidum vocabo Mundum
Leviſſimis rumoribus;
Gerit vterum rotundum
Superbiæ tumoribus:
Gravis inde, gratioſus
Vellet videri, & nobilis:
Sed nonne qui globoſus
Gibboſus eſt, & mobilis?
Larvate pone vultum,
De te boni nil ominor;
Quem fronte, & ore cultum
Mentiris, hunc abominor.
Spargit, ſeritque ventum,
Si ſe tibi quis obliget;
Serat vſque luſtra centum,
Quid inde? ventum colliget.

AMENTIS eſſe duco
Mundi regi veſtigijs;
Vbi cuncta plena fuco,
Et plena ſunt præſtigijs.
Vbi vita, turpe bellum:
Mors, triſte lethum dicitur;
Vbi mortis ad macellum
Invita vita ducitur.
Vbi bella ſunt amæna:
Infamiæ ſunt laureæ:
Vbi mella, ſunt venena:
Moleſtiæ, ſunt aureæ.
Vbi flamma juncta fumo:
Humanitas fallaciæ:
Vbi roſa juncta dumo;
Ingratijſque gratiæ;
Et riſibus dolores;
Et appetitus tædijs;
Et jurgijs amores;
Et lachrymæ cupedijs.

NOLO meos amores,
Aut occupari ſpiritus,
Vbi mille poſt labores,
Labor fit omnis irritus.
Vbi plura ſunt timenda,
Quo major eſt ſecuritas:
Vbi plura ſunt videnda,
Quo major eſt obſcuritas.
Vbi deficit facultas;
Vbi nocet innocentia;
Vbi ſeparat ſimultas;
Vbi decet indecentia;
Vbi pudor eſt pudori;
Vbi licet licentia;
Vbi ſtupor eſt ſtupori;
Vbi ſolita inſolentia;
Vbi ſtatur arroganter;
Statûs enim myſterio
Res ſeriæ, oſcitanter;
Nugæ, geruntur ſeriò.

AMABO quiſquis iſti
Per ſenſuum palatia,
Quid eſſe repperiſti
Vitæ tuæ ſolatia?
Quid optimi eſt ſaporis?
Nonne alitum cadavera?
Nonne illices ſoporis,
Plumæ, ſoni, papavera?
Quid veſtis & tapetum?
Sunt belluarum tergora.
Quid moſchus, & Zibethum?
Hæc murium ſunt ſtercora.
Quid credis eſſe byſſum?
Sunt ipſa vermis ilia.
Quid eſſe purpuriſſum?
Quod continent conchylia.
Vide aſſeclas Thraſonis;
Belli putant ſe fulmina,
Cum cauda Struthionis,
Verrit galeri culmina,

QVID

Qvid ergo, quid morarum
Mundi traho per atria?
In valle lachrymarum,
In vanitatis patriâ?
Vbi Mens gravata mole,
Ad ima ſemper truditur,
Vbi & vidente ſole
A ſenſibus deluditur.
Vbi Vanitatis Iris
Depingit imbrem roridum,
Coloribuſque miris
Se fingit arcum floridum,
Vbi officina mentis
Phantaſticâ propagine
Ipſum nihil, ſub entis
Veriq́ue fert imagine.
Vbi ſumma veritatis
Hæc eſt; quod hoc palatium,
Plenumq́ue inanitatis,
Verumq́; ſit mendacium.

Si ſunt inanitates,
Si vera ſunt mendacia,
Quas fert amænitates,
Qüæ Mundus hic, ſolatia.
Eſt digna res ſtupore,
Quod plurimi mortalium
Capiantur aut amore,
Aut fraude rerum talium.
Quod in tot & virorum,
Et fœminarum cœtibus;
Pauci notent malorum
Circumdari ſe retibus.
Aves vt implicentur,
Subtile rete tendimus;
Hoc callidæ intuentur,
Et ſæpe nullam prendimus.
Queis Mundus aucupatur
Cum fila ſint immania;
Hæc nemo ſuſpicatur:
O error! ô inſania!

Mundi aucupis videte
Quam fila ſint communia:
Iuveni, puella rete;
Rete eſt ſeni, pecunia.
Capitur auarus auro;
Vanâ ſuperbus gloriâ;
Victor virente lauro,
Levi pugil victoriâ.
Capitur iners quiete;
Piger tenetur otio;
Et fabulis poëta;
Et inſtitor negotio;
Et navitæ procellis;
Et vinitores vitibus;
Et aulici novellis;
Et advocati litibus
Eſt ergo (ſitque veſtrâ
Hoc pace dictum clariùs)
Hac Mundus in palęſtrâ
Athleta retiarius.

Eſt rete Mundi aſylum;
Et rete tam notabile,
Vt ejus omne filum
Sit ſenſibus, palpabile.
Tenentur illi odoris
Vapore, reti fumeo;
Tenentur hi ſaporis
Humore, reti ſpumeo.
Tenentur hi colore;
Hi Muſicorum lineis;
Capiuntur hi liquore
Qui natus eſt in vineis.
Hi ſtemmatum ſigillis;
Hi Principum convivijs;
Hi virginum capillis;
Hi pellicum laſcivijs,
Hi veſte detinentur;
Hi prædijs; hi cenſibus;
Tibi nunquid hæc videntur
Patere fila ſenſibus?

QVID dico? quidve clamo?
Si res vt eſt expenditur;
Piſcis tenetur hamo;
Homo ſeipſo prenditur.
Sua quemque fert voluptas,
Trahitq; quo deſiderat;
Leges fuiſſe ruptas,
Non curat, aut conſiderat.
Sed quiſque prædo cordis,
Quod maximæ eſt amentiæ,
Se ſtringit ipſe chordis
Erroris, & licentiæ.
Quod iſta plena fuci
Mundi ſit oſtentatio,
Non debet inde duci
Color, vel excuſatio:
Nam quidquid eſt ab ipſo
Nobis Deo conceditur.
Nemo niſi à ſeipſo
In his amandis læditur.

Lædor quidem à meipſo,
Lædor tamen; nec læderer,
Procul ipſe memetipſo,
Deo meo ſi dederer.
Nam blandientis hujus
Mundi ſub affluentiâ,
Quis eſt? quis ille? cujus
Non gliſcat appetentia?
In orbe, ſive diſco
Sunt cuncta Mundi fercula;
Et pertinace viſco
Imbuta ſunt opercula.
Tangendo detinemur;
Tenendo comprehendimur;
Prendendo poſſidemur;
Et poſſidendo vendimur.
Si dicis eſſe abuſum;
Hunc nolo abuſum cudere.
Si dicis eſſe luſum;
Hunc nolo ludum ludere.

Tria ſunt amica Mundo;
Opes, voluptas, gloria:
Hæc intus, inque fundo
Sunt dona proditoria.
Opes labore patre,
Ex matre ſunt cupidine;
Stant cum timore fratre,
Sorore cum formidine.
Apis inſtar eſt voluptas,
Mordet ſuis cupedijs;
Quis neſcit eſſe nuptas
Jucunditates tædijs?
Fatuus honoris ignis
Eſt flamma deſultoria;
Eſt febribus malignis,
Et fulguri par gloria.
Sunt ergo, ſunt venena,
Sunt dona proditoria,
Vt ut audiant amæna,
Opes, voluptas, gloria.

SI Mundus illecebris
Seſe tibi deſpondeat,
Eventibuſq; crebris
Votis tuis reſpondeat:
Securus eſſe noli;
Quid ſit futurum diſpice;
Deoque fide ſoli;
Finemque ſemper inſpice.
Qui ſpargit illecebras,
Cachinnulos, & jubilum;
Mox ibit in tenebras,
In lachrymas, in nubilum.
Par eſt tenebrioni,
Nubique par ſerenulæ;
Par immo Scorpioni,
Par Mundus eſt Sirenulæ.
Aures vtrimque claude;
Sirenibus ne jungere;
Cave venena caudæ;
Vult Scorpio te pungere.

PVER anguis eſt in herbâ,
Cave, cave pericula;
Fuge ſpecioſa verba,
Non verba ſunt, ſed ſpicula.
Ne te putes abeſſe:
Quid corpore eſt affinius?
Quid carne poſſit eſſe,
Quid te tibi vicinius?
Mundi manendo Civis,
Omni procul juvamine,
Inter venena vivis;
In aſpidis foramine.
Ne dic; libido ſordet,
Non curo, non conſentio:
Cupido ſæpe mordet,
Et mordet in ſilentio.
Vide puer teipſum
Ne diligendo læſeris:
Fugiendo temetipſum,
Tu te caves, non deſeris.

FVGE

Fvge, fuge, quid moraris?
Domi tuæ eſt incendium.
Quid cum foco jocaris,
Mors cujus eſt ſtipendium?
Ludendo te favillæ
Vrunt gravi cauterio:
Placétne ludus ille,
In quo feritur ſeriò?
Fateris eſſè parvas
Res Mundi, & eſſe inutiles;
Fateris eſſe larvas,
Et eſſe nugas futiles:
Fuge ergo, nàm probatâ
Virtute nî te involueris:
Nî fila præparata
Dolo bono diſſolveris:
Iſtæ profecto nugæ
Aut perditum te duxerint;
Aut more ſanguiſugæ
Tibi medullam ſuxerint.

Mihi pes vterque prurit
Calcare Mundi gloriam;
Me ſanctus ardor vrit;
Vincamus hanc victoriam.
Video venire rugas,
Et funeris præſagia;
Linquamus haſce nugas,
Linquamus hæc contagia.
Linquamus ante mortem,
Et ante vitæ funera,
Quam Mundus iſte ſortem,
Quæ Mundus offert munera.
Qui vitæ ad vſque fundum
Mundo volenter hæſerit,
Non linquit ipſe Mundum;
Sed Mundus ipſum deſerit.
Linquamus ergo Mundum,
Rerum chaos diſcordium;
Linquamus hoc profundum,
Et hanc cloacam ſordium.

CANTVS II.

ANIMI SALIENTIS
A TERRA IN DEVM.

HÆc vita funus atrum,
Et vera ſcenæ eſt fabula;
Mors prodit in theatrum,
Vitæ per incunabula.
Volat hora, currit ætas,
Strophen, per atq; antiſtrophen;
Ad mortis vſq; metas,
Et fabulæ cataſtrophen.
Sunt regna, ſunt honores
Vt plurimùm tragædiæ;
Mortaliumq; mores
Ludibrium comædiæ.
Quicunq; ventre matrum,
Vitæ ſub auras trudimur;
Vitæ per hoc theatrum
Vel ludimus, vel ludimur.
Noli rogare quarum
Sit hic, ſit ille, partium:
Age tu quod eſt tuarum;
Sic vivere eſt ars artium.

Noli invidere ſortem,
Aut ſatrapis, aut regibus:
Omnes obire mortem,
Debemus, æquis legibus.
Quâ lege navigandum,
Vitæ vijs fatalibus;
Hac lege naufragandum,
Eſt omnibus mortalibus.
Omnes ſuiſq; cymbis,
Suiſq; remis voluimur,
Lethalibuſq; nimbis
Cymbâ ſolutà, ſoluimur.
Mare vita, morſq; portus,
Hinc incolenda civitas
Aut cæli amænus hortus,
Aut tartari eſt captivitas.
Ne per maris procellam,
Mens erret vt phrenetica;
Poli invenire ſtellam,
Acu volo magneticâ.

LITTVS legendo verrant,
Amentq; terram radere;
Vel qui libenter errant,
Vel non amant evadere.
Volo tenere curſum;
Volo per altum devehi,
Et navigando ſurſum,
DEI ſub alas evehi.
Non ibo quà ſuevi,
Vror novis ardoribus;
Cœlum quod ante ſprevi,
Eſt in meis amoribus,
Mihi terra riſit olim.
Putata delectabilis,
Quam nunc amare nolim,
Sanè, nec eſt amabilis.
Monet iſtą claritudo
Serena, cœlum cernere:
Docet ipſa pulchritudo
Terrena, terram ſpernere.

QVOCVNQVE fert ocellus
Sui favillam luminis,
Sit vnda, ſitve tellus;
Mei recordor numinis.
Si fortè cerno florem,
De flore ſurgit quæſtio,
Quis cudit hunc odorem?
Deumq́; noſſe geſtio.
Si prata, rura, montes,
Valles, agros; ſi cætera:
Sunt hæc creata pontes,
Scalæq́; verſus æthera.
Et per ſuas figuras,
Et ſigna per terreſtria,
Quid nos amare curas
Aiunt, ama cæleſtia.
Quot nempe res creatæ,
Tot voculæ propheticæ;
Mihiq́; fabricatæ
Tot ſunt acus magneticæ.

En arbores relinquant
Telluris vt confinia,
Cæloq́ue cum propinquant,
Vt gaudeant viciniâ.
Sublimè ſurgit Ornus,
Altùmq́ue creſcit Eſcylus,
Amat eminere Cornus
Iacere neſcit Meſpilus.
Abies ſuo vireſcit
Se ſurrigens acumine,
Libentiùſq́ue creſcit
In montium cacumine.
Sunt nube quæ putentur
Ramos amanter tingere;
Sunt velle quæ videntur
Ad ſtellulas attingere.
Hæ dum per hunc calorem
Ramos in altum porrigunt;
Cordis mei teporem,
Et vilitatem corrigunt.

QVID anime mi, quid vrges
Hæc inferis affinia?
Ignave, quando ſurges
Ad ſyderum confinia?
Frondentibus capillis
Init Cedrus connubium
Cum rore, cumque ſtillis
Altiſſimarum nubium.
Quercus propinqua ſtellis
Eſt eminente culmine,
Frendentibus procellis,
Et invidente fulmine.
Quot Fagus aucta ramis,
Tot brachijs ſe tendere;
Quot frondibus, tot hamis
Videtur aſtra prendere.
Tu carceris profundi
Gravi catenâ necteris
Per ſenticeta Mundi
Sordes meras amplecteris;

Non ſola magna ligna
Effert amor cæleſtium:
Hæc vſitata ſigna
Sunt ſtirpium terreſtrium.
Videmus & geniſtas
In montium crepidine,
Aurêas levare criſtas
Ejuſmodi cupidine.
Humiles per arva ſpicæ
An non amant excellere?
An non amant myricæ
Se verſus aſtra pellere?
Et arbores ſuperbæ,
Et ſimplices arbuſculæ,
Fruteta, gramen, herbæ,
Et ſtirpium minuſculæ,
Omnes ad aſtra tendunt
Mirabili concordiâ;
Me porrò reprehendunt,
Qui langueo ſocordiâ.

PRÆTEXO quod moretur
 Me corporis puſillitas:
 Natura ſi notetur,
 Hæc proſit imbecillitas.
Solet arborum tenella
 Radice factâ pubere,
 Ne langueat miſella,
 Potentiori nubere.
Sic nupta vitis vlmo
 Tranſcendit vlmum vertice:
 Sic obſequente culmo
 Phaſelus inſtat perticæ.
Hederæque ſic tenaces
 Muri per altitudinem;
 Cucurbitæ ſequaces,
 Per pergulæ teſtudinem.
Vt jungar ergo cœlo,
 Me vitis eſt ſolertior?
 Sum tardior phaſelo?
 Cucurbitis inertior?

ANIMA mea vis adire
Cœleſte patrimonium?
Debemus hic inire
Solenne matrimonium.
Si nuptui locari,
In cælitum vis curijs;
Non perticis juvari;
Non indiges longurijs.
Trino DEO, DEO vni
Pulchris amoris nexibus
Cor obliga, cor vni,
Et implica complexibus.
Qui cordis eſt puſilli,
Si cum DEO conjungitur;
DEVS loco bacilli,
Statuminiſque fungitur.
Et iſtud adjuvantis
Eſt gratiæ connubium;
Animique provolantis
Vltra parerga nubium.

Si mole detineris,
 Et corporis gravamine;
Opus eſſe tunc doceris
 Virtute, vi, conamine.
En planta quæ gravatur
 Vim vi ſtudet repellere;
Studet illa quæ ſecatur
 Ramis novis excellere.
Studet agitata Pinus
 Frondes minanter jungere;
Eſt auſa preſſa Spinus
 Se deprimentem pungere;
Ilexque tonſa duris
 In Algido bipennibus,
Ridere vim ſecuris
 Lucris amat perennibus;
Et eminere Palma
 Si quo prematur pondere:
In id indolis ſcit alma
 Natura, plantas condere.

Et lachrymas, & iras,
Et murmur, & ſuſpirium,
Induſtriaſque miras
Abſconditarum virium,
Cœli viâ negatâ
Conſtanter arbor exerit,
Et certat obſtinata
Donec comas erexerit.
Si quo furore venti
Ramos minantur frangere,
Suſpirio frequenti
Auditur Ormus plangere.
Alnus renidet, auris
Leni ſono ridentibus,
Iraſciturque Cauris
Per aërem ſtridentibus.
Quo truncus ille vergit
Dum ſtridet, aut iraſcitur;
Meus amor ire pergit,
Eoque fine naſcitur.

SIMVL ac amor Cupreſſum,
Palmam videt, vel Carduum;
Simul inde, per regreſſum
Fert ipſe ſeſe in arduum.
Et quærit ire junctim,
Idemque per veſtigium;
Et ſicut illa punctim
Acuminat faſtigium.
Aitque; ſi Cupreſſus
Flamæ in modum protenditur,
Queat amor eſſe preſſus,
Qui flagrat, ac incenditur?
Si Palma preſſa, ſurſum
Levat ſuis ſe palmulis;
Amor poteſne curſum
Tuis negare flammulis?
Si Carduus ſagittas
Suas olympo dedicat;
Amor vt eò remittas
Tuas ſagittas prædicat.

AVGVSTISSIMÆ MATRIS PRO SERENISSMIS PROLIBVS AD SACROSANCTAM EVCHARISTIAM VOTVM.

IESV ſub hiſce donis,
Sub azymi candoribus,
Tu te meis amoribus
Album, ſcopumq́ue ponis,
Petendo me.
Et quando tela mittis,
In te Deus quem diligo
Meos amores dirigo,
Reciprocis ſagittis
Petendo te.

Sub PANE te latentem,
Te quæro ſplendor Numinis,
Sed tanti ad vmbram luminis
Oportet obſtupentem
Hærere me.
Regina ceſſit Auſtri
Ad Salomonis gloriam:
Hanc tu refers victoriam,
Albi ſub orbe clauſtri
Claudendo te.
Sum victa; pro tributo
Vin' Chriſte me? me prendito;
In cor meum deſcendito;
Hoc PANIS hocce ſcuto
Defende me.
Hac protegente parmâ,
Munitus hiſce ferculis,
Vltra columnas Herculis
AVVS tetendit arma,
Ductore te.

Sic

Sic perge nos amando,
O Auſtriæ ſpes vnica;
Te Cæſari communica,
Te Chriſte FERDINANDO
Conſorte me.
Proleſque, noſq; ſerva;
Conſerva amorem mutuum;
Volo tuorum nutuum
Fidelis eſſe ſerva,
Amando te.

SYMBOLUM EUCHARISTICUM

Hoſtia ſacra radioſa inter tres roſas.

EPIGRAPHE

VN SOL.

CORONIS

CORONETVR Auſtriacorum Principum Euchariſtica Deuotio,
PIETATE
AVGVSTISSIMÆ IMPERATRICIS
ELEONORÆ.
OMNES MATREM AGNOSCVNT.
Imitatione Deiparæ, dici poteſt
MATER PVLCHRÆ DILECTIONIS.
Religione virtutibuſq́; viuit in eâ
FERDINANDVS SECVNDVS.
In honorandâ SS. Euchariſtiâ non laſſatur. Sit Hymnus ejus,
PRO CORONA.
Erit FERDINANDI CONIVGIS,
FERDINANDO FILIO
PRO MEMORIA.

ELEONORÆ IMPERATRICI AVGVSTISSIMÆ PRO ADORANDA SS. EVCHARISTIA HYMNVS.

Adoro te ſuauis
Præ melle Panis hoſtia;
Quæ ſacra pandis oſtia
Amoris aureâ clauis,
Adoro te.
Tu gratiæ cibilla,
Tu vena ſanctitudinis,
Omniſque dulcitudinis
Es vber, & papilla
Cibando me.

Quando ſupra meum cor
Te ponis vt ſignaculum,
Fit maximum miraculum;
Mihi rapis meum cor,
Donando te.
Iesv meum cor vnus
Amoris arcem poſſides;
Et vt mihi des obſides,
Das temet ipſe munus
Prædando me.
Te ſumo, me rependo;
Damus viciſſim mutuum,
Ego meum cor, tu tuum;
Sic memet ipſa vendo
Emendo te.
Sed tu parum lucraris
In hoc amoris cambio;
Nam nummo amoris, ambio,
Sumpto tuis ab aris
Ditare me.

Amaſ-

Amaſque poſſideri,
Et me libenter prodigo,
Sed cor meum pro prodigo
Nunquam poteſt haberi,
Lucrando te.
Quid hîc amor vereris?
Accede confidentiùs,
Fac vt DEVM frequentiùs
Albo ſub hoc lucreris
Perdendo me.
En vt volant columbæ
Ad alba turris culmina,
Et inde rident fulmina;
Sic ô amor recumbe,
Et paſce te.
Hanc nacta amoris eſcam,
Gementis inſtar turturis,
Et omnis expers murmuris
Libenter hic quieſcam,
Oblita me.

Libenter eſſe merſam
In te DEVS me videro;
O CHRISTE me deſidero
In te videre verſam, ab-
ſumendo te.
Veni, veni, veni ergo
O ſacra amoris hoſtia;
Perfringe cordis oſtia,
Tuo me amore mergo,
Submerge me.
Libens carebo corde,
IESV tuo ſi fixero.
Si tota de te vixero;
Libens carebo corde
Contenta te.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hoſtia ſacra in fauo mellis, quam Rex apum adorat.

EPIGRAPHE

L'ONORA ò GVSTA.

Pa-

FERT ille flos, cruorem
Quem nominant Adonidis,
In ſyderum favorem
Stellam loco coronidis.
Irim figurat Iris
Flexis in arcum floribus;
Suis referre gyris,
Suis amat coloribus.
Violæ fluens ab ore
Svavis ille anhelitus,
Vel floris ex colore
Manâſſe dicas cælitus.
Et iſta floſculorum,
Ac ſyderum conſenſio,
Eſt cauſa gaudiorum,
Dum naſcitur contentio;
Aprilibus novellis,
Cœlumne pictum floribus?
An terra clara ſtellis
Dicenda ſpectatoribus?

EST verſus aſtra florum
Nativa quædam caritas:
Horum parens amorum
Eſt alma cœli claritas.
Hiantibus labellis
Vides oriri floſculum?
Libare velle ſtellis
Florens videtur oſculum.
Vel ore hiante Solis
Haurire velle flammulas;
Sic ſunt labella prolis,
Matris procantis mam̃ulas.
Itoris eſt anheli!
Vt aſtra ſpirat lilium!
Hoc ore nonne cœli
Se dicit eſſe filium?
Quando virente in horto
Vror ſacris ardoribus;
Has flammulas reporto
A lilijs, & floribus.

Qvis author eſt? quis ille?
Qui format arte ſeriâ
In flore Granadillæ
Paſſi Dei Myſteria?
Eſt Granadilla luctus
Imago funeſtiſſimi:
Qui prodit inde fructus
Saporis eſt dulciſſimi.
In flore tam ſuavi
Hæc ſculpta ſunt ænigmata:
Crux, haſta, treſque clavi,
Et dira quinque ſtigmata:
Virgæ, columna, ſcalæ,
Corona ſpinis horida;
Miraculumque tale
Fert zona mundi torrida.
In Indijs videtur
Chriſti renata paſſio,
Vt cordibus creetur
Vel barbaris, compaſſio.

Amore Trinitatis
Mî cuncta fiunt vilia;
Cum ſigna puritatis
Contemplor alba lilia.
Labra lilij repanda,
Sunt vt diſertæ lingulæ;
Verſant ſe in explicandâ
Divinitate ſingulæ.
Ex lilij vmbilico
Vmbo velut Divinitas
Aſſurgit, vmbo dico
Cujus corona Trinitas.
Vmbonis hæc corona,
Quæ lilij eſt faſtigium,
Eſt vna, & eſt trigona,
Trini Dei veſtigium.
Et nutus ipſe floris
Seu lilij inclinatio
Submiſſio eſt honoris,
Suique dedicatio.

QVIBVS ergo me moveri
Par eſt amoris motibus;
Si terra ſe voveri
Tot gaudet alma dotibus?
Muti per arva flores
Loquuntur altè, & liberè;
Dum per ſuos colores
Amant DEVM deſcribere.
Quare putri veterno
Languemus, ac diſſolvimur?
Cur in Deum ſuperno,
Calore non provoluimur?
Invitat, inſtat, vrget
Natura priva ſenſibus:
Anima mea quando ſurget
Tam floridis aſcenſibus?
Nunquam quieta, nullis
Contenta rebus vixerit:
Donec Deum medullis,
Cordiq; cælum fixerit.

Non inde nota tantùm
  Telluris eſt proclivitas:
  Libellus eſt amantûm,
  Rerum omnium nativitas.
Nam rebus his caducis
  Intermicantes gemmulæ,
  Sparſæ per aſtra lucis,
  Ac ſyderum ſunt æmulæ.
Elephas, vt orta plorat
  Aurora, guttis roſcidis,
  Cunas diei adorat
  Nutu ſuæ proboſcidis.
Aues, diemque doctæ
  Solemque præſentiſcere,
  Age, fugiente nocte
  Canunt, age, expergiſcere.
Tollamus ergo velum;
  Ne vana ſit contentio,
  Cor inter, atque cælum
  Requiritur conſenſio.

CANTVS III.

ANIMI SALIENTIS A COELO IN DEVM.

SVM pauper ô IESV,
Et pauperem me dictito,
Tuique PANIS eſu
Stipem petendo victito.
Amoris oſtiatim
Mendico ſtans ad oſtia;
Te quæro nominatim
Te IESV, Amoris hoſtia.
Tu PANIS, atque muſtum
Amoris es pro ferculo:
Peto PANIS inde fruſtum,
Negabis hoc pauperculo?
Fateor nimis pudenda
Petentis eſt indignitas;
Sed eò magis ſtupenda
Erit tui benignitas.
Ignoſce ſi petendo
Sim forſan importunior;
Fit edendo, fit bibendo
Amor meus jejunior.

TE PANIS alme gaudet
Egena mens agnoſcere,
Et eſurit, nec audet
Miſella micam poſcere.
Sine veſte nuptiali
Tam vile mendicabulum,
Ab amore liberali
Cæleſte poſcat pabulum!
Quâ fronte? quo colore
Petatur hæc felicitas?
An fortè quod pudore
Non ducitur mendicitas?
Pudet immo; ſed latentem
Te Chriſte mox vt intuor,
Me prævenis egentem,
Et veſte amoris induor.
Dum pono in ore fruſtum,
Dum recreari geſtio:
Simul hominem vetuſtum
Depono, Chriſtum veſtio.

NON eſt (ais) decorum
Sic ſe Deum demittere;
Canibuſque, filiorum
Panem vorandum mittere.
Domine etiam catelli
Micas cadentes colligunt;
Et devorant miſelli
Quod aſſidentes porrigunt.
Quid quæro? quæro micam:
Hanc vnicam conceſſeris;
Omnes (parumne dicam)
Omnes opes congeſſeris.
Qui me coëgit ardor
Hoc PANIS expetiſcere;
Solet ille cum retardor,
Sicut catellus hiſcere.
Miror, quis iſte PANIS,
Quæ vis, quis ardor inſitus;
Vbinam, quibuſve granis
Vel quâ molâ ſit pinſitus.

RHYTHMVS IV.

AMORIS iſte PANIS
E flore fit primario;
Ductis proinde granis
Amoris è granario.
Quêis grana conteruntur
Extant molæ mirabiles;
Vi Spiritûs aguntur,
Ventóque ſunt verſatiles.
Dolor eſt lapis molaris;
Alæ Crucis Calvariæ
Velatæ Amoris alis,
Alæ molendinariæ.
Sunt grana membra Chriſti,
Et illius ſuſpiritus
Cordis calore miſti,
Sunt ventus, aura, ſpiritus.
Satis eſt, ſuperque nota
Hujus molæ ſuſpenſio;
Molitoris iſta tota
Amoris eſt inventio.

Etiam

RHYTHMVS V.

Etiam cribrum parâſti
Dolor rigoris artibus;
Agni cutem forâſti
In mille, mille partibus.
Amor vrſit vt cribrares
Deum per hæc foramina,
Vt inde far parares,
Et ſanguinis libamina.
Hac nobili farinâ,
Guttâque limpidiſſimâ,
In amoris officinâ
Fit maſſa candidiſſima.
Opereque fit diurno,
Structis amoris ignibus;
Imponiturque furno
Notata Iesv inſignibus.
Hinc Panis, hinc bonorum
Fit omnium compendium:
Coquus omnium ſaporum;
Amoris eſt incendium.

RHYTHMVS VI.

AMOR hac in arte ludis;
Es piſtor, & fornacula,
Pinſendo quando cudis
PANIS novi miracula.
Tui ſub hiſce formis,
Tuimet obliviſceris;
Nimiumq́; amando dormis;
Sed eſus expergiſceris.
Si ſubter hunc ſaporem
Et hæc Amor convivia,
In ecſtaſis ſoporem,
Langueſcis, ac oblivia;
In me recumbe, dormi,
Et conde luminaria;
Sed & igne ſeptiformi
Incende puluinaria.
Hoc cor ſit oro lectus;
Si turpe ſit, ſi durius;
Amoris igne pectus
Mollitur, & fit purius.

AGE

AGE Piſtor ad laborem,
Flos è farinâ excernitur;
Amor age, pinſe florem,
Divina menſa ſternitur.
Struitur DEO coquente
Cœleſte mundo prandium;
Fiunt DEI placentæ,
Fit PANIS eſca grândium.
Vertaris in ſaporem,
Sit nulla fermentatio:
Quia nulla per tumorem
Fit gratiæ augmentatio.
Bene eſt: Amor laborat,
Paniſque vitæ pinſitur;
Dolorque collaborat,
Neuter labore vincitur.
Dolore, Amore plena
Dum cribra ſunt, & pocula;
Sonat iſta cantilena
Amoris vnâ voculâ.

AGE botre, funde rorem
Doloribus calcantibus :
Ceres age, ſparge florem,
  Deus fit eſca amantibus.
Procul Euöe, corymbi,
Thyrſique cum Bacchantibus;
DEVS inſtat, ecce nimbi,
  DEVS fit eſca amantibus.
Hominem pluente Cœlo,
Verbis DEVM tonantibus;
Foco Amoris, atque prælo
  DEVS fit eſca amantibus.
Cyathus cruore ſpumat
Amoribus flammantibus,
Ceres ardet, ara fumat,
  DEVS fit eſca amantibus.
Niueâque vectus Iri,
Et nubibus rorantibus;
Sitibundus eſuriri
  DEVS fit eſca amantibus.

DE-

RHYTHMVS IX.

Amor ! ô Amor ! quovſque
Quovſque mecum luditur ?
Quid vſque, & vſque, & vſque
Cœlum mihi præcluditur ?
Animæ meæ fa villa,
Ad aſtra jure pertinet;
Cur terra nunc in illâ
Me ſervitute detinet ?
Terrena vilipendo,
Et memet ipſe abominor,
Me cœlo, amando vendo;
Cur non in aſtris nominor ?
An ſemper iſta verram,
Teramque mortis atria ?
Pudor eſt amare terram,
Cœli relictâ patriâ.
Si nuper hanc amavi,
Cor nunc in aſtris figitur;
Tot ſunt quot aſtra, clavi
Quibus Deo configitur.

RHYTHMVS X.

O aſtra fixa cœlo,
  Noctemque declarantia!
O æſtuante zelo,
  Meum cor inflammantia!
Itote vos amorum,
  Itote flammæ perpetes
Prænuntiæ meorum;
  Itote vos interpretes.
Bene eſt; micando nictant,
  Meiſq; verſa obtutibus,
Aliquid tot aſtra dictant,
  Aut innuunt tot nutibus.
Fortaſſe quod creatis
  Me nolo rebus vendere,
Quia volo cum Beatis
  In cor Dei tranſcendere,
Petunt velimne ſurſum
  Quid litterarum mittere.
Stellæ, tenete curſum
  Tantiſper, ecce litteræ.

Deo

DEO TER OPTIMOQVE,
TER MAXIMOQVE NVMINI,
CORDIS MEI INTIMOQVE,
ABSCONDITOQVE LVMINI.

QVI PELLIS, ATQVE VELI
EXPANDIS INSTAR ÆTHERA,
ORBIS MONARCHA, CÆLI,
TERRÆq; REX, ET CÆTERA.

LAngueſco ; pro medelâ
Vis vt magis Te diligam:
Amoris eſt loquela,
Sed neſcio ann' intelligam;
Cupiduſque ſum ſciendi,
Noli tamen reſcribere;
Amore Te videndi
Langueſco, dico liberè.
Humi datum, ſacrorum
Nocte annuâ Natalium.
SERVVS TVVS, TVORVMQVE,
EGO INFIMVS MORTALIVM.
Non addo quis ſit annus;
Amata ſempiternitas
Facit, vt Amor tyrannus
Adſcribat hîc

ÆTERNITAS.

Non vivo, non, ſed inter
Vitæ procellas mæreo;
Dum carnis iſte linter
In anchoris eſt, hæreo.
Fideſque, ſpeſque, binæ
Sunt anchoræ, queîs fulcior,
Donec meæ carinæ
Aſpiret aura dulcior.
Vbi flârit aura mortis,
Fineſque vitæ invaſerit,
Patentibuſque portis
Captiva mens evaſerit;
Enavigabo cælum
In cælitum ſplendoribus,
Et explicabo velum
Favonijs amoribus.
Hac ſpe, quieſco fluctus
Hos inter, & procellulas;
Meoſque fallo luctus,
Procando cœli ſtellulas.

O aſtra ! quando cœli
Per cærulum vagamini;
Mihi ſervulo fideli
Cor integrum furamini.
Quot in oculos venitis
Scintillulis, & nictibus:
Tot cor meum feritis
Et ſpiculis, & ictibus.
Me vultis eſſe nudum
A terreis affectibus
Me vultis eſſe ludum
Veſtris ijs aſpectibus.
Ignes abite cari,
Cum flammulis lenonibus;
Non eſt bonum morari
Me nocte, cum prædonibus.
Immo immo ſtate ſtellæ,
Et duplicate ſpicula;
Cor eſt quidem rebelle;
Sed hæc amat pericula.

Ite, ite cœli ocelli,
Me dedo veſtro lumini;
Fateorque jure belli
Me mancipatum Numini.
Simul atque ſplenduiſtis
Captus Dei ſum gloriâ:
Vos me, mihi abſtuliſtis;
Sed eſt Dei victoria.
Non calcitro protervus,
Arridet hæc captivitas;
Amo Dei eſſe ſervus;
Eſt ſervitus feſtivitas.
Peto loco favoris,
Nolite capto parcere;
Captivus eſt amoris,
Amoris eſto in carcere.
Carcer Devm procantis
Stellata cœli eſt Regia;
Amabo vos, amantis
Servate privilegia.

O QVALE te fruenti
Erit DEVS ſolatium!
Si tale diligenti
Promittitur palatium.
Quam pulchra quæ creaſti
Quam pulchra ſunt tentoria!
Quam cara, quæ paraſti,
Quam cara diverſoria!
Vt arcuata ſurſum
Stat fornicis rotunditas!
Vt ordinata curſum
Cœli tenet jucunditas!
Vt præſto te ſtat ante
Sol inter aſtra maxumus!
Vt luna te vocante,
Stellæque dicunt adſumus!
Vt ſol ſuis renatus
Seſe coronat ignibus!
Vt ſyderum ſenatus
Solis nitent inſignibus!

QVAN-

QVANDO videntur aſtra,
Clamo ſtupore percitus,
Quam gratioſa caſtra!
Quam pulcher eſt exercitus!
Prior emicat capillis
Aurora diſcoloribus,
Dans mille, mille ſtillis,
Primam ſalutem floribus.
Pulcher deinde viſu,
Flammiſque ſol vitalibus
Micat, aureoque riſu
Facit diem mortalibus.
Noctis ſequuntur horæ;
Et luna cœli finibus
Pallente prodit ore,
Argenteiſque crinibus.
Rurſum cadente nocte,
Sunt abſque laſſitudine
Dies redire doctæ,
Pulchrâ viciſſitudine.

O bella luna! bellus
Sol! bella cœli lumina!
Bellus Dei libellus
Sunt ſyderum volumina!
Cœlum inſtar eſt papyri,
Cujus reduplicatio,
Multiplicesq́ue gyri,
Sunt apta complicatio.
Duo ſunt poli ſtatuti
Vtrimq́ue pro compagine.
Super polos voluti
Nox, & dies, ſunt paginæ.
In hoc libro planetæ
Sunt litteræ majuſculæ;
Sunt virgulæ, cometæ;
Stellæq́ ſunt minuſculæ.
Legit etiam popellus
Has litteras, hæs lumina.
Verè Dei libellus
Sunt ſyderum volumina.

DEI manus perennis
Ductando cœli lumina;
Conſcribit iſta, pennis
Currentibus, volumina.
Diebus exprimendis,
Delineandis menſibus;
Vti ſolet ſtupendis
Duobus amanuenſibus.
Viden' agili volatu
Vt luna circumvolvitur?
Celeriq́ue ſol rotatu,
Per ætherem convolvitur?
Calamus vterq́ue ſcribæ
Scribentis eſt velociter;
Clamantis, euge ſcribe, &
Manum moventis ocyter.
Quod ſi DEI miniſtri
Sunt iſta cæli lumina;
Magni liber magiſtri
Sunt orbium volumina.

RHYTHMVS XVIII.

CELEBRIVM ſcholarum
Eſt Mundus vniverſitas,
In quâ omnium bonarum
Eſt artium diverſitas.
Sunt aſtra, claritate
Quam nata ſunt emittere,
In eâ vniverſitate
Humaniores litteræ.
Diſcurſus vniverſus
Eſt proprius poëmatis:
Sunt nox, dieſque verſus;
Lux inſtar eſt emblematis.
Verſus ij, minorum
Conſtant choreis ignium:
Stropha verſibus duorum
Præ cæteris inſignium.
Quibus ô ſtupendus odis!
Qua ſyderum melodiâ!
Amor Poëta, prodis
Quæ ſit DEI proſodia!

NON

NON eſt opus ſtudenti
Habere commentaria;
Per ſe patent legenti
Deſcripta luminaria.
Quod ſi Venus laboret,
Lunæque ſit defectio,
Lunamúe decoloret
Telluris interjectio:
Licet iſta litteralis
Senſus, ſit obſcuratio;
Fit prompta marginalis
A ſole declaratio.
Curæ videntur vnæ,
Et una ſolis munia,
Lumen creare lunæ
Ad vſque plenilunia.
En quo Deus nitore,
Quantâque claritudine;
Quo me docet calore
Luciſque promptitudine.

DEVS docet figuras
Præcepta per communia;
Per luminis lituras
Dum formar interlunia.
Curuæ micantne lunæ?
A ſole fit Parentheſis,
Implentur hæ lacunæ?
Hæc eſt figura Epentheſis.
Sol ipſemet fit hujus
Amator elegantiæ:
Notanda luna, cujus
A ſole ſit diſtantiæ.
Quando ſuâ ſtaturâ
Sub ſole luna ponitur;
Eclipſeos figura
Tunc à Deo componitur.
Soliſque dum docetur
Lunæque conjugatio;
Vtriuſq; ſi notetur,
Fit nota declinatio,

O aſtra fixa cœlo,
  Noctemque declarantia!
O æſtuante zelo,
  Meum cor inflammantia!
Itote vos amorum,
  Itote flammæ perpetes
Prænuntiæ meorum;
  Itote vos interpretes.
Bene eſt; micando nictant,
  Meiſq; verſa obtutibus,
Aliquid tot aſtra dictant,
  Aut innuunt tot nutibus.
Fortaſſe quod creatis
  Me nolo rebus vendere,
Quia volo cum Beatis
  In cor Dei tranſcendere,
Petunt velimne ſurſum
  Quid litterarum mittere.
Stellæ, tenete curſum
  Tantiſper, ecce litteræ.

DEO TER OPTIMOQVE,
TER MAXIMOQVE NVMINI,
CORDIS MEI INTIMOQVE,
ABSCONDITOQVE LVMINI.

QVI PELLIS, ATQVE VELI
EXPANDIS INSTAR ÆTHERA,
ORBIS MONARCHA, CÆLI,
TERRÆq; REX, ET CÆTERA.

LAngueſco; pro medelâ
Vis vt magis Te diligam:
Amoris eſt loquela,
Sed neſcio ann' intelligam;
Cupiduſque ſum ſciendi,
Noli tamen reſcribere;
Amore Te videndi
Langueſco, dico liberè.
Humi datum, ſacrorum
Nocte annuâ Natalium.
SERVVS TVVS, TVORVMQVE,
EGO INFIMVS MORTALIVM.
Non addo quis ſit annus;
Amata ſempiternitas
Facit, vt Amor tyrannus
Adſcribat hîc

ÆTERNITAS.

NON vivo, non, ſed inter
Vitæ procellas mæreo;
Dum carnis iſte linter
In anchoris eſt, hæreo.
Fideſque, ſpeſque, binæ
Sunt anchoræ, queis fulcior,
Donec meæ carinæ
Aſpiret aura dulcior.
Vbi flârit aura mortis,
Fineſque vitæ invaſerit,
Patentibuſque portis
Captiva mens evaſerit;
Enavigabo cælum
In cælitum ſplendoribus,
Et explicabo velum
Favonijs amoribus.
Hac ſpe, quieſco fluctus
Hos inter, & procellulas;
Meoſque fallo luctus,
Procando cœli ſtellulas.

O aſtra ! quando cœli
 Per cærulum vagamini ;
 Mihi ſervulo fideli
 Cor integrum furamini.
Quot in oculos venitis
 Scintillulis, & nictibus :
 Tot cor meum feritis
 Et ſpiculis, & ictibus.
Me vultis eſſe nudum
 A terreis affectibus
 Me vultis eſſe ludum
 Veſtris ijs aſpectibus.
Ignes abite cari,
 Cum flammulis lenonibus ;
 Non eſt bonum morari
 Me nocte, cum prædonibus.
Immo immo ſtate ſtellæ,
 Et duplicate ſpicula ;
 Cor eſt quidem rebelle ;
 Sed hæc amat pericula.

Ite, ite cœli ocelli,
Me dedo veſtro lumini;
Fateorque jure belli
Me mancipatum Numini.
Simul atque ſplenduiſtis
Captus Dei ſum gloriâ:
Vos me, mihi abſtuliſtis;
Sed eſt Dei victoria.
Non calcitro protervus,
Arridet hæc captivitas;
Amo Dei eſſe ſervus;
Eſt ſervitus feſtivitas.
Peto loco favoris,
Nolite capto parcere;
Captivus eſt amoris,
Amoris eſto in carcere.
Carcer Devm procantis
Stellata cœli eſt Regia;
Amabo vos, amantis
Servate privilegia.

O QVALE te fruenti
Erit DEVS ſolatium!
Si tale diligenti
Promittitur palatium.
Quam pulchra quæ creaſti
Quam pulchra ſunt tentoria!
Quam cara, quæ paraſti,
Quam cara diverſoria!
Vt arcuata ſurſum
Stat fornicis rotunditas!
Vt ordinata curſum
Cœli tenet jucunditas!
Vt præſto te ſtat ante
Sol inter aſtra maxumus!
Vt luna te vocante,
Stellæque dicunt adſumus!
Vt ſol ſuis renatus
Seſe coronat ignibus!
Vt ſyderum ſenatus
Solis nitent inſignibus!

QVANDO videntur aſtra,
Clamo ſtupore percitus,
Quam gratioſa caſtra!
Quam pulcher eſt exercitus!
Prior emicat capillis
Aurora diſcoloribus,
Dans mille, mille ſtillis,
Primam ſalutem floribus.
Pulcher deinde viſu,
Flammiſque ſol vitalibus
Micat, aureoque riſu
Facit diem mortalibus.
Noctis ſequuntur horæ;
Et luna cœli finibus
Pallente prodit ore,
Argenteiſque crinibus.
Rurſum cadente nocte,
Sunt abſque laſſitudine
Dies redire doctæ,
Pulchrâ viciſſitudine.

O Bella luna! bellus
Sol! bella cœli lumina!
Bellus Dei libellus
Sunt ſyderum volumina!
Cœlum inſtar eſt papyri,
Cujus reduplicatio,
Multiplice ſq́ue gyri,
Sunt apta complicatio.
Duo ſunt poli ſtatuti
Vtrimq́ue pro compagine,
Super polos voluti
Nox, & dies, ſunt paginæ.
In hoc libro planetæ
Sunt litteræ majuſculæ;
Sunt virgulæ, cometæ;
Stellæq́ ſunt minuſculæ.
Legit etiam popellus
Has litteras, hæs lumina.
Verè Dei libellus
Sunt ſyderum volumina.

DEI manus perennis
Ductando cœli lumina;
Conſcribit iſta, pennis
Currentibus, volumina.
Diebus exprimendis,
Delineandis menſibus;
Vti ſolet ſtupendis
Duobus amanuenſibus.
Viden' agili volatu
Vt luna circumvolvitur?
Celeriq́ue ſol rotatu,
Per ætherem convolvitur?
Calamus vterq́ue ſcribæ
Scribentis eſt velociter;
Clamantis, euge ſcribe, &
Manum moventis ocyter.
Quod ſi DEI miniſtri
Sunt iſta cæli lumina;
Magni liber magiſtri
Sunt orbium volumina.

Celebrivm ſcholarum
Eſt Mundus vniverſitas,
In quâ omnium bonarum
Eſt artium diverſitas.
Sunt aſtra, claritate
Quam nata ſunt emittere,
In eâ vniverſitate
Humaniores litteræ.
Diſcurſus vniverſus
Eſt proprius poëmatis:
Sunt nox, dieſque verſus;
Lux inſtar eſt emblematis.
Verſus ij, minorum
Conſtant choreis ignium:
Stropha verſibus duorum
Præ cæteris inſignium.
Quibus ô ſtupendus odis!
Qua ſyderum melodiâ!
Amor Poëta, prodis
Quæ ſit Dei proſodia!

Non eſt opus ſtudenti
Habere commentaria;
Per ſe patent legenti
Deſcripta luminaria.
Quod ſi Venus laboret,
Lunæque ſit defectio,
Lunamúe decoloret
Telluris interjectio:
Licet iſta litteralis
Senſus, ſit obſcuratio;
Fit prompta marginalis
A ſole declaratio.
Curæ videntur vnæ,
Et una ſolis munia,
Lumen creare lunæ
Ad vſque plenilunia,
En quo Deus nitore,
Quantâque claritudine;
Quo me docet calore
Luciſque promptitudine.

DEVS docet figuras
Præcepta per communia;
Per luminis lituras
Dum format interlunia.
Curuæ micantne lunæ?
A ſole fit Parentheſis.
Implentur hæ lacunæ?
Hæc eſt figura Epentheſis.
Sol ipſemet fit hujus
Amator elegantiæ:
Notanda luna, cujus
A ſole ſit diſtantiæ.
Quando ſuâ ſtaturâ
Sub ſole luna ponitur;
Eclipſeos figura
Tunc à Deo componitur.
Soliſque dum docetur
Lunæque conjugatio;
Vtriuſq; ſi notetur,
Fit nota declinatio,

RHYTHMVS XXI.

CÆLVM liber videtur
Rerum DEI venalium:
Sed ſi ſtylus notetur,
Volumen eſt annalium.
In hoc leguntur horæ
Ex artis elegantiâ
Scriptæ pari tenore,
Æquabili diſtantiâ,
Hic lineæ dierum,
Et periodi ſunt menſium,
Capitaque ſumma rerum
Annale componentium.
Horis, diebus, annis,
Volumen hoc componitur;
Primamque, ſol, quotannis
Ad lineam reponitur.
Quam jugis eſt amoris
In nos Dei dilectio;
Annis, diebus, horis,
Fit pulchra nobis lectio.

So-

SOLARE quando lumen
Curſim per annum volvitur;
Annalium volumen
Quatuor tomis abſolvitur.
Nova ſingulis tomorum
Eſt temporis nativitas;
Et temporum novorum
Diverſa tempeſtivitas.
Alio colore picta
Veris novelli emblemata;
Alio calore ficta
Æſtiva ſunt poëmata.
Autumnitatis auris
Sunt ſcripta collectanea;
Brumalibuſque cauris
Hiberna miſcellanea.
Quatuor inde ſectiones
Sunt temporis mutabilis,
Variæque lectiones
Authoris admirabilis.

Si quando ſol cucurrit
Per temporum diſcordium
Concordiam, recurrit
Par ſemper anni exordium;
Hoc ſyderum volumen
Eſt Muſicæ concordia,
Quâ lux, Deique numen
Invadit in præcordia.
Hyems, modis profundùm
Voraginoſis intonat:
Autumnus, is rotundùm
Attemperatis inſonat:
Æſtas canit præaltùm
Celerrimis accentibus:
Ver accinit ſubaltùm
Pulcherrimis concentibus:
Quæ fit, fit illa mundo
In infimo diſcordia;
In organo rotundo
Cœli, ſonat concordia.

Hæc æthra tam ſerena,
Tantæque pulchritudinis;
Eſt arcuata ſcena,
Et inſtar eſt teſtudinis.
Septemque ſunt planetæ,
Septem fides ſpectabiles,
Amoris hinc Poëtæ,
Fiunt toni mirabiles.
Sol chorda principalis,
Flammis micat præconibus:
Eſt luna, chorda, qualis
Eſt pro minutionibus.
Hæ dum fides ciuntur
Amoris in teſtudine;
Laudes DEI canuntur
Mirâ ſuavitudine.
Amor chori magiſter
Chordas videtur icere,
Et vt DEI miniſter
Hanc cantilenam dicere.

CANTILENA

Homo proterve quare
Amas bonum mutabile?
Amando vis amare?
  Ama quod eſt amabile.
Nil mella, vina, flores,
Nil terra fert durabile:
Muta tuos amores,
  Ama quod eſt amabile.
Nil inter aſtra quære,
Nil eſt ibi guſtabile:
Si vis amare verè,
  Ama quod eſt amabile.
Quid proderit vagari
Bonum procando labile?
DEvs poteſt amari;
  Ama quod eſt amabile.
Ama Devm miſelle,
Ama quod immutabile,
Ama quod abſque felle,
  Ama quod eſt amabile.

O QVIS mihi det alas,
Alas columbæ panſiles?
O quis det eſſe ſcalas
Hinc trans olympum ſcanſiles?
Sublimis evolabo
In cor DEI inſcrutabile;
Et involans amabo
Bonum, quod eſt amabile.
Quid Anime mi, quid alis?
Quid indiges talaribus?
Amor eſſe vult ſodalis,
Vijſque ſingularibus.
Habet Amor ipſe plumas
Quibus volare dicitur;
Audacter inde ſumas;
His nullus interdicitur.
Aut ſi negantur alæ,
Jam ſuſtuli calcaneum;
Volo ſint vt aſtra ſcalæ,
Munduſque ſuppedaneum.

RHYTHMVS XXVI.

ANIME intuere ſurſum;
Et intuendo rumina,
Quis dictet huncce curſum?
Quis ſcribat hæc volumina?
Si lumen, aſtra, cælum,
Et ſyderum proceſſio
Liber eſt, quod ergo prælum?
Aut cujus eſt impreſſio?
Quis author? ecqua norma?
Aut cujus ex imagine
Eſt mutuata forma?
Delineatæ paginæ?
Tot vnde ſtellularum
Eſt ordo, vel perfectio?
Tot vnde litterarum
Cæleſtium collectio?
Non ſunt vel à ſeipſis,
Vel orta caſu lumina:
Oportet ire ab ipſis,
Ad altiora numina.

DEVM

DEVM, Deiqúe natum
  Docemur eſſe autographum,
  Exemplar increatum,
  Prælum, typum, typographum.
Quicquid boni deorſum,
  Surſumúe pulchri ſcribitur;
  Ex hoc, id omne prorſum
  Autographo tranſcribitur.
Quæ cernitur ſupernè
  A ſole colluſtratio,
  Eſt pulchra ſempiternæ
  Lucis reverberatio.
Quid Anime vis caducis,
  In gemmulis, & floribus,
  Captivus eſſe lucis?
  Quid ſolis in fulgoribus?
Scis te à DEO vocari
  In lumen admirabile,
  Hic dulce naufragari
  Hic eſt perire optabile.

Cvm ſole ne cor erra;
Solum Deum deſidera;
Præ quo quid iſta terra?
Quid aſtra, quid ſunt ſydera?
Qui ſolis architectum,
Mundique fabrum reſpicit;
Mundi profectò tectum,
Tectique clavos deſpicit.
Cæli quid eſt patentis
Dicamne ſphæra, an ſphærula?
Deitatis eſt latentis
Cortina quædam cærula.
In eaque mille, mille,
Et mille ſparſæ ſtellulæ,
Quædam velut favillæ
Deique ſunt nitellulæ.
Tu diſce noſſe numen
Tot ejus ex inſignibus;
Deique crede lumen
Lucere ſub tot ignibus.

DEVS eſt ſuprema ſphæra,
In quâ nec vlla beſtia,
Nec Hydra, nec Chimæra,
Sed ſigna ſunt cæleſtia.
Neq́ue cauda Scorpionis
Fallacis eſt facundiæ;
Neq́ue caput hic Draconis
Eſt ſydus iracundiæ.
Neq́ue Taurus, aut Leæna
Hîc nomen aſtri vendicat;
Neq́ue Cancer, aut Hyæna
In hacce ſphærâ ſplendicat.
Neq́ue Phæbus hic rigeſcit
Sub Capricorni imagine;
Sol ſemper hîc quieſcit,
Et ſemper eſt in Virgine.
Nec qui per hocce cælum
Arcum tenet Centaurus eſt;
Arcus, pharetra, telum,
Amoris hîc theſaurus eſt.

Nolo videre cælum
Hic ſplendor eſt vmbratilis;
Tollatur omne velum,
Deus ſit aſpectabilis.
Deus illud eſt ſupremum
In quo volo quieſcere:
Eò vſq; amando demum
Fas eſt amantem creſcere.
Amor atque promptitudo
Virtutis i per ſemitas;
Divina celſitudo
Hujus viæ eſt extremitas.
Procul aſtra noctiluca,
Venuſque, Marſque, ac Jupiter:
Sit luce pro caducâ
Sol Chriſtus, & dieſpiter.
Radijs morer ſub ipſis,
Lunæque ſit diſtantia;
Ne fiat in me eclipſis,
Procul ſit inconſtantia.

PROCVL eſto luna, cujus
Lux in dies mutabilis:
Mea luna, ſolis hujus
Eſt mater admirabilis.
Præſente Matre proli
Eſt mira lucis vnio;
Eſt luna juncta ſoli,
Durante plenilunio.
Mihi ſole ſic in ipſo
Lunæ placet conſortium;
Vt nuper à meipſo
Iuraverim divortium.
Volo in aſtra verti ab illis:
Cor hunc, & hanc conſidera;
Vtriuſque fac favillis
Virtutis in te ſydera.
Procul aſtra ſint maligna,
Eclipſis, aſtra errantia
Virtutis alma ſigna
Sunt fervor, & conſtantia.

AMORIS ito telum,
I ergo quo te dirigo;
Trans aſtra, tranſque cælum,
In cor DEI quem diligo.
Tuæ, ô ſagitta, pennæ
Sunt quas Amor contexuit;
Et gluten eſt perenne,
Quo pennulas annexuit.
Tuus, ô ſagitta, mucro
Cordis figurâ cuſus eſt;
Illius involucro
Amor meus concluſus eſt.
DEI cor ergo quære,
Illi meum cor deferas,
Ibi permanenter hære,
Nil curo ſi me deſeras.
Perſiſte, ne recede;
Hóc quippe ſum divinior
(Mea mî ſagitta crede)
Quò tu Deo vicinior.

CANTVS IV.

ANIMI SALIENTIS A SEIPSO IN DEVM, ET PAVSANTIS.

QVÆ pugna? quiúe motus?
Quæ mentis hæc contentio?
Videor perire totus,
Et abripi me ſentio.
Qnod paret, eſtne tale?
An ſes imaginaria?
Naſci videntur alæ,
Naſci mihi talaria.
Videor volans in altum,
Vltra planetas devehi
Et inde dando ſaltum
Inter beatos evehi.
Adhæc, videtur ignis
Fibris meis potirier;
Et miror abſque lignis
Quì poſſit hic nutririer.
An innovando fibras,
Tibi Deus me præparas?
Hoc igne corda libras,
Et memet à me ſeparas.

A MVNDO, ab hiſce tricis
Tu me DEVS, Tu ſevocas;
Et vt ſoles amicis
Ad te meum cor evocas.
Fac oro ne retardet
Me languor, aut vecordia:
Exire jam cor ardet,
Et geſtiunt præcordia.
Nam noſco Te vocantem,
Et me vocari gaudeo,
Et diligo Te amantem,
Et alloqui non audeo.
Tua DEVS altitudo,
Virtus, & eminentia,
Lux, ſplendor, amplitudo
Me terret, & potentia.
Meique me remordet
Pudenda ſanè exilitas;
Mens inquinata ſordet,
Fæx corpus eſt, & vilitas.

LOQVAR ego, cum cinis ſim,
Tibi DEVS, ſanctiſſimo?
Loquére tu viciſſim,
Quid, tu, mihi viliſſimo?
Quis ego, Deus, quis es tu,
Vt ante te balbutiam?
Infantiumq́ue geſtu,
Nugas meas effutiam?
Quis ego? quis, vt fruiſcar
DEI mei conſortio?
Niſi vana comminiſcar,
Sum parva terræ portio.
Eſt terra, gleba, limus
Noſtrûm genus natalium.
Ego inde, & inde Primus
Extractus eſt mortalium.
Vt terreum ſigillum
Coram DEO balbutiat!
Vt pulveris puſillum,
Verbum vel vnum mutiat!

DEVS meus, quis es tu?
Quis ſum, fuiúe, homuncio
Qui mente, voce, geſtu,
Laudes tuas enuncio?
Ego maſſa, ſive grumus
Coagulatus ſemine;
Ego ventus, aura fumus,
De ventre natus fæminæ.
Tu fundus, vnde rerum
Eſt omnium nativitas:
Tu ſplendor, vnde verum
Eſt lumen, & feſtivitas.
Ego ſtipes, immo truncus,
Pondúſque terræ invtile;
Ego muſcus, alga, juncus,
Negotiumque futile,
Tu firmitas profundi,
Telluris es conſtantia,
Anima increata mundi,
Rerum omnium ſubſtantia.

Ego roris orta manè
  Sum diffluentis bullula,
  Nux caſſa, vas inane,
  Caduca vitri ampullula.
Tu ſol es abſque manè,
  Parens in hac ampullulâ
  Replens quod eſt inane,
  Ludens in iſtâ bullulâ.
Ego ſpuma margaritæ,
  E roridis liquoribus;
  Ego gutta nata vite,
  E floridis humoribus.
Tu cudis vnionem,
  E fæce ſpumæ roridæ;
  Formaſque botryonem,
  Humore guttæ floridæ.
Ego cinis atque nitrum,
  Filixque terræ mucida:
  Tu fingis inde vitrum,
  Et vaſa amoris lucida.

QVIS ego, Deus, quis es tu?
Vt audeam vel hiſcere,
Vel amoris actus æſtu,
Te velle concupiſcere?
Ego nil habens egeſtas,
Et ipſa ſum mendicitas:
Tu gaza, tu poteſtas,
Tu vita, tu felicitas.
Origo tu bonorum,
Theſaurus admirabilis:
Radix ego malorum,
Vorago deteſtabilis.
Præſentis, & futuri,
Et omnium tu præſcius.
Ego cordis vſque duri,
Vt vel mei ſim neſcius.
Tu mens, & ordo rerum,
Et certa prouidentia:
Ego pœnitere ſerum,
Et mentis imprudentia.

MARE tu Deus profundum:
Ego maris ſum ſtillula:
Tu ſolis es rotundum;
Ego illius ſcintillula.
Tu floris ipſe flos es;
Ego parum lanuginis:
Tu roris ipſe ros es;
Ego humor heſperuginis.
Ego nebulæ pruina;
Tu luminis præſtantia:
Ego caſus, & ruina;
Tu robur, & conſtantia.
Ego circulus dolorum;
Tu gaudij perennitas:
Ego rota ſum laborum;
Feſtiva tu ſolennitas.
Ego murmur atq; clangor;
Tu muſicæ concordia:
Ego leſſus atque plangor;
Tu riſus ad præcordia.

Tv lux; ego tenebræ:
Ego lutum; tu puritas:
Tu dux; ego ſalebræ:
Timor ego; tu ſecuritas.
Tu dulcitudo; ego fel:
Ego rigor; tu lenitas:
Ego amaritudo; tu mel:
Ego dolor; tu amœnitas.
Ego pœna; tu levamen:
Ego febris; tu ſanitas:
Ego noxa; tu piamen:
Ego ſcelus; tu ſanctitas.
Ego turpe; tu decorum:
Ego probrum; tu gloria:
Ego vile; tuque honorum:
Ego pugna; tu victoria.
Ego lucta; tu corona:
Ego labor; tu præmium:
Tua præmiando dona
Es finis, & proœmium.

Tv gemma, tuque byſſus,
Tu Numinis Divinitas,
Æternitas, abyſſus,
Immenſitas, infinitas.
Ego barathro quis ſum?
Sum lerna turpitudinis.
Ego frugiperda quis ſum?
Ludus viciſſitudinis.
Ego vagante plumâ,
Vannique vento vanior;
Ego volante glumâ,
Pulviſculiſque inſanior.
Ego tumente ſpumâ
In proſperis inanior;
Ego rigente brumâ,
In aſperis immanior.
Ego verminante rumâ,
Et pure purulentior;
Ego peſtilente ſtrumâ
Taboque virulentior.

Ego pura puta labes
  Sum criminum fuligine;
 Ego ſcabioſa tabes
  Carnis meæ prurigine.
Ego ſcelerum cloaca,
  Lacuna ſum putredinis;
 Sentina ſum meraca
  Fætoris, & gravedinis.
Ego carcinoma plenum;
  Ego merum contagium;
 Ego peſtis, & venenum,
  Mortis malæ præſagium.
Ego ſpecus, & caverna
  Immanium ſerpentium.
 Ego Dæmonum taberna
  Glutire me volentium.
Ego ſtrues Auerni.
  Incendij rutabulum;
 Igniſque ſempiterni
  Non expiandum pabulum.

Ego nubium ſequela,
Turboque ſum volubilis,
Araneique tela,
Caroque diſſolubilis.
Ego natus ad feretrum.
Nunc vivo cum mortalibus,
Futurus inde tetrum
Spectaculum, ſodalibus.
Ego flatus & pruina
Quæ ſole primo ſolvitur;
Ego vermium ſagina
Quæ linteo convolvitur.
Ego vilis ipſe vermis,
Terræque projectaneum;
Ego impotens, inermis,
Mortiſque ſuppedaneum:
Ego clauſa carnis vtre
Sum verminoſa fæditas,
Corpuſculumque putre,
Lumbriculis hæreditas.

Ego res habenda nauci,
Quam ſperno, cui renuncio:
Res æſtimanda pauci,
Non aſſe, non teruncio.
Ego jacente fæno,
Et vilior ſum ſtramine,
Obſcæniorque cæno,
Abjectior putamine.
Ego vmbra veritatis,
Non vera res, ſed recula;
Ego aura vanitatis,
Non vita, ſed nubecula.
Ego muſca, blatta, grillus,
Et ſi quid eſt exilius,
Pilus, piliqúe villus,
Villoque ſi quid vilius.
Summâ nihil, minuſque,
Nam cum Dei ſint omnia,
Transformo memet, vſque in
Larvas, chimæras, ſomnia.

DEVS æviterne quis ſum?
An vmbra ficta ſomnio?
Si ſum; quis ergo? quis ſum?
Sed ſumne verè? an ſomnio?
Sum, ſum, ſed à teipſo
Totus DEI, ſum per Deum.
Nihil prorſus à meipſo,
Mei ipſius nil eſt meum.
Nihil, nec vmbra verè;
Vmbræ nec vmbra parva ſum;
Nec vmbra ſum Chimæræ:
Sed hujus vmbræ larva ſum.
Nam me ſui figurâ
Si privet author omnium,
De me nec vmbra pura;
Sed reſtet vmbræ ſomnium.
Hæc ſomnij medulla
Prematur hîc ſilentio;
Mei proinde nulla
Fiat deinceps mentio.

Sed tu Devs, quis es tu?
  In cujus vno numine,
  Fæcunditatis æſtu
  Eſt lumen ortum lumine.
Tu, qui perennis ignis
  Nec flas, nec ardes irritùm;
  Tu, qui loquendo gignis,
  Viviſque agendo Spiritum.
Vtinam videndo noſſem;
  Quam pulchra ſis Divinitas.
  Et nunciare poſſem,
  Quam ſis ſtupenda Trinitas.
Quæ ſit Dei propago,
  Eſſentiæque impendium;
  Quæ Patris eſt imago;
  Quod Spiritûs incendium.
Ideo peto, quis es tu?
  Et eſt amantis quæſtio,
  Deus meus, quis es tu?
  Quem ſic amare geſtio.

QVIS tu DEVS Deorum?
Quibus loquar te floribus?
Amor, immo flos amorum,
Compactus ex amoribus?
Oris tui labella
Sunt lilium de lilio;
Sunt bina, non gemella;
Vnum Pater cum Filio:
Hi quando collabellant
Spirant amoris floſculum,
Amando cum duellant,
Amoris exſtat oſculum.
Geritur perenne bellum
Inter DEI ſuſpiria;
Amor ipſus eſt duellum,
Æterna ſunt conſpiria.
Hæc eſt Dei* caligo; *licentia Dimetri.*
Hæc Patris eſt fæcunditas;
Hæc filij eſt origo;
Hæc Spiritûs jucunditas.

Qvis ergo tu? quis es tu?
Intra ſacram caliginem,
Tibi ipſe mentis æſtu
Qui duplicas origìnem?
Tu ſol es â te ipſo:
Nos inde lucem traximus:
Sol ſolus, in ſeipſò
Ter vnus, & ter maximus.
Ter vnus, immo ternus,
Seu, tres in vno numine:
Nam vivis æviternus
Calore, luce, lumine.
Ter magnus abſque mole;
Non abſq́ue plenitudine:
Nec ſolus abſq́ue prole,
Sed abſq́ue ſolitudine.
Cum Patre fœta proles,
Amoris eſt origine:
Tres eſtis ergo Soles,
In vnicâ caligine.

QVIS porro tu? quis es tu?
Vbi manes? quid actitas?
Quo more, quóve geſtu,
Quæ ſunt agenda factitas?
Agis, nec ocuparis,
Nullo regis negotio:
Satagendo feriaris;
Nullo quieſcis otio.
Fers cuncta, nec gravaris:
Pondus facis, nec ponderas:
Et quando ponderaris,
Tu ponderi præponderas.
Radiando non videris,
Obſcuritate nobilis.
Movendo non moveris,
Mundum moves immobilis.
Veſtiris abſque amictu
Es dives abſque cenſibus.
Et vivis abſque victu.
Sentis, ſed abſque ſenſibus.

Tv primus, & ſupremus;
A te velut primordio,
Sunt cuncta quæ videmus,
Sed tu cares exordio.
Tu ſemita abſque calle;
Iter carens veſtigio;
Tu mons es abſque valle;
Turris carens faſtigio.
Globus triangularis,
Centro carens rotunditas;
Triaſque circularis;
Fundo carens profunditas.
Sine Venere es venuſtus;
Es artifex ſine artibus;
Sine ſenio vetuſtus;
Perfectus abſque partibus.
Es juſtus abſque normâ,
Es rectus abſque regulâ,
Formoſus abſque formâ,
Æternus ante ſæcula.

Es pulcher abſque nævo;
Omnì joco jucundior:
Omniq́ue major ævo,
Omniq́ue mundo mundior.
Vivendo non ſeneſcis,
Nil tempus ex te deterit:
Quid ſit fuiſſe, neſcis;
Tempus tibi non præterit.
Ex te fit omnè verum,
Et nòn fit imperfectio:
Tu forma, tuq́; rerum
Es omniũm perfectio.
Es terra, non araris;
Es vnda, non es humida,
Es aura, non vagaris;
Es flamma, non es fumida.
Pelagus es abſque portu;
Convàllis abſque montibus;
Lux abſque ſolis ortu,
Et flumen abſque fontibus.

Roſa es, ſed abſque ſpinis;
Fons es, ſed abſque origine;
Et abſque fine finis;
Et abſque ſol vertigine.
Amor es, ſed abſque telo;
Vinum, ſed abſque flocibus;
Typus, ſed abſque prælo;
Liber, ſed abſque vocibus.
Nemus, ſed abſque luco;
Aurum, ſed abſque ſcoriâ;
Species, ſed abſque fuco;
Et abſque fumo gloria.
Et abſque nocte cælum,
Et æquor abſque fluctibus,
Et abſque nube velum,
Et riſus abſque luctibus.
Et hortus abſque dumo,
Et fructus abſque cortice,
Theſaurus abſque numo,
Abyſſus abſque vortice.

INVOLVOR hac abyſſo,
Obſcuror iſto lumine,
Dum lambo, dum pitiſſo,
Submergor alto flumine.
Quid eſt DEVS, requiro:
Hoc circulo mens volvitur,
Et vndequaque gyro,
Et quæſtio non ſolvitur.
Peto, quid eſt? nec vnquam
Quid eſt DEVS definio:
Vt vt addo, & addo, nunquam
Definiendo finio.
Sic inquieta reſtas,
Et fixa mens; dum penſitas,
Quid eſt DEI poteſtas?
DEI quid eſt immenſitas?
Areſco quando abundo;
Et ſemper opto pergere,
Amoq; me profundo
Divinitatis mergere.

DEUS meus quid extra
Te quæro, quid conſidero?
In te, tuâque dextrâ,
Sunt cuncta quæ deſidero.
Quid quæro ſuavitatem
In mundi acerbitudine?
Quid quæro dulcitatem,
In ipsâ amaritudine?
An ruris opto mella?
An hortuli fragrantiam?
An Chloridis labella?
An floris elegantiam?
Tu mellis officina,
Melligo mellitudinis,
Apumque tu rapina,
Dulcedo dulcitudinis.
Tu riſus hortulorum,
Et gratia, & fæcunditas,
Et ipſa floſculorum
Chloris, charis, jucunditas.

QVID quæro claritatem
Ex Cynthiâ, vel Cynthio?
Quid quæro ſuavitatem
In felle, ſive abſinthio?
Quid vina? quid ſapores?
Quid apparatus Perſiæ?
Quid liba? quid liquores?
Quid fercla menſæ tertiæ?
An lactis opto mammas?
An ſacchari tragemata?
An ſolis opto flammas?
Iriſve pulchra emblemata?
Tu ſol, tuumque pectus
Eſt vena claritudinis.
Tu lucis architectus;
Idæa pulchritudinis.
Tu nectaris papilla,
Vber beatitudinis,
Tu menſa, tu cibilla
Omnis ſuavitudinis.

QVID balſami liquorem
Quæro, vel ex Americâ?
Ex piſce quid colorem?
Ex verme fila ſerica?
Quid Seris opto floccum
Auri ſtriatum ſegmine?
Quid opto ferre coccum
Pro veſte vel pro tegmine?
Amor, amor eſt amictus,
Nec Muricum cruoribus.
Nec acu, nec arte pictus,
Sed proprijs ardoribus.
Amor, amor eſt coloris,
Eſt purpuræ flagrantia;
Amor, amor eſt odoris,
Eſt balſami fragantia.
Deus, amor eſt amænus;
Amor, Deus, pulcherrimus:
Amor eſt Deus ſerenus;
Amor, Deus, tenerrimus.

Phy blandulas puellas
Cum crine, cum murænulis;
Phy monſtra, phy procellas,
Cum Cypri, cum Sirenulis.
Non me regit Cupido,
Non impudens amaſia,
Non forma, non libido,
Non purpurata baſia.
Quærone ſuaviari?
Tu ſuaviorum ſuavitas.
Quærone baſiari?
Procul ſit omnis pravitas.
Tu me, Deus, ſatullas
Caſtiſſimis amoribus;
Mihi cor emedullas
Oris tui favoribus.
Cæleſtibuſque texis
Ignes tuos cupedijs,
Tua ſaties, orexis
Eſt ſemper abſque tædijs.

QVÆ regna? quos Ducatus?
Quas comminiſcor glorias?
Quos formo Principatus?
Quas ſomnio Victorias?
Quæ fata, ſpeſue fingo?
Quæ gloriosâ inſaniâ,
Caſtella mente pingo,
In Galliâ, aut Hiſpaniâ?
An ancupor favores,
Et multa privilegia?
An Aulicos honores?
An Magnas eſſe in Regiâ?
Vbi DEVS invenitur,
Ibi eſt honoris Curia,
Qui te, DEVS potitur,
Non tangitur penuriâ.
Tu fauſtitatis ædes;
Tu gloriæ palatium;
Potentiæque ſedes;
Tu vita, tu ſolatium.

QVID gemmeas inaures?
Quid quærimus monilia?
Quid vt graventur aures.
Mundi novi conchylia?
Quid vt ardeant capilli
Lychnite, vel carbunculis?
Vt pendeant lapilli,
Ex aurium carunculis?
Carbunculi, ſmaragdi
Quæcunque fulget claritas
Quæcunque poſſit addi;
Divina præſtat caritas.
Deus eſt coruſca gemma,
Flagrans amoris ignibus;
Adamantis ipſe ſtemma
Fert pro ſuis inſignibus.
Adamante ſigner illo,
Amor per illum cuditur:
Illo DEI ſigillo
Summum bonum concluditur.

RHYTHMVS XXVIII.

SI fortè præ favillis,
Præ gemmeis carbonibus,
Præ Lazuli lapillis,
Delector vnionibus:
In te Deus Ter-vno,
Eſſentiæ communio
Dat eſſe Tres in Vno;
Quam rarus eſt, hic vnio.
Dos hujus vnionis
Sunt Vnitas, & Trinitas:
Hujuſce Ternionis
Eſt vnio, Divinitas.
Deitatis æſtimatur
Ex Vnitate, raritas:
Et VNIO vocatur,
In Trinitate caritas.
Hoc ergo Ternione,
Trinæ fruens Hypoſtaſis,
Diſſolvor VNIONE,
Mens liquitur, fit Ecſtaſis.

QVID ENIM MIHI EST IN CÆLO ? ET A TE QVID VOLVI SVPER TERRAM? DEFECIT CARO MEA, ET COR MEVM: DEVS CORDIS MEI, ET PARS MEA DEVS IN ÆTERNVM

Pſal. LXXII.